

(30. Causas vero matrimoniales, quæ spectant ad Episcopum jure Ordinario, potest ipse committere discutiendas, et decidendas doctoribus, etiam qui non sunt ejus Vicarii. Et debent hujusmodi Cause matrimoniales ob sui gravitatem cognosci, et judicari ab his, qui statuta canonum non ignorant.

## CENSURA.

## SUMMARIUM.

1. Censura unde sit dicta. — 2. Censura quid sit. — 3. Explicatur per singulas particulas definitio Censuræ. — 4. Censuræ ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet excommunicatio, suspensio, et interdictum. — 5. Irregularitas autem non est proprie Censura. — 6. Sic depositio et degradatio non sunt Censuræ. — 7. Item cessatio a divinis non est Censura. — 8. Potestas ferendi Censuras quibus competat. — 9. Censura primo ferri non potest, nisi in delinquentes Christianos. — 10. Secundo ferri non potest, nisi in rationis capaces. — 11. Tertio non potest ferri, nisi in subjectos jurisdictioni ferentis ipsam Censuram. — 12. Quarto communitas, aut collegium potest quidem ligari suspensione et interdicto, minime tamen excommunicatione. — 13. Quinto ex speciali jure non ligantur Episcopi sententia generali suspensionis, aut interdicti, nisi de ipsis specialis mentio fiat. — 14. Sexto sic etiam Cardinales, nisi specialis, et expressa de ipsis mentio fiat. — 15. Septimo Imperatores et Reges ob suæ dignitatis excellentiam Censura aliqua ab Episcopis ligari non possunt. — 16. Ad validitatem Censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. — 17. Intelligi tamen de excommunicatione majori, vel alia Censura ecclesiastica gravi. — 18. Adducitur ratio, quare ad validitatem Censuræ requiratur, quod culpa in suo genere sit completa. — 19. Adducitur ratio, quare etiam debeat esse cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. — 20. Ad incurrendam tamen Censuram non requiritur semper contumacia aut contemptus formalis, sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus. — 21. Ad validitatem Censuræ ferendæ ab homine, requiritur etiam trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat, quod nempe in aliquo urgente casu, una solum admonitio peremptoria pro tribus sufficiat. — 22. Et talis monitio debet fieri in scripturis cum expressione causæ et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus contra quem fertur Censura; et coram testibus tradi, vel legi ipsi personæ excommunicandæ. — 23. Nisi forsitan malitiose se absconderet et fugeret; tunc enim sufficit, si monitio seu excommunicatio prævia scripta ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco suffigatur. — 24. Dicitur autem notanter, *maxime excommunicationis*, quia Censura suspensio, et interdicti aliquando non ut meræ Censuræ, sed ut pænæ vindicativæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa. — 25. Ad validitatem tamen Censuræ latæ sententiæ a jure statutæ, non requiritur monitio. — 26. Censura interdicti potest infligi etiam ob peccatum alterius. — 27. Non potest tamen propter peccatum alterius infligi Censura excommunicationis majoris. — 28. Neque etiam propter peccatum alterius potest infligi Censura suspensionis proprie et stricte acceptæ. — 29. Ab incurrendis Censuris tres præcipue causæ excusant; et assignatur prima. — 30. Assignatur secunda. — 31. Assignatur tertia. — 32. Quando appellatio fit post latam excommunicationem, vel alterius Censuræ sententiam, non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut superior possit cognoscere de justitia Censuræ. — 33. Innocens cen-

(1. Censura, quæ venit a *censendo*, apud veteres Romanos significabat tum officium

Præterea iniquum esset quamquam conjugalem controversiam tractari ab eo, qui non sit juris canonici peritus, tamen lata sententia valida esset propter jurisdictionem, quam habet is, qui eam tulerit. Barbosa, *ibidem*, n. 15.

suratus, v. g. excommunicatus secundum allegata, et approbata in foro externo pro tali habere se debet, quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. — 34. In secreto tamen posset talis se gerere, ut non censuratus. — 35. A Censuris a jure, si non sint reservate, absolvere potest quilibet confessarius pro foro interno conscientie; pro foro tamen externo superior censurati. — 36. A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvere solus ille qui eas tulit, vel ejus delegatus, vel superior censurantis plenam jurisdictionem in illum habens. — 37. Non sic autem Archiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi ad eum appelletur. — 38. Nemo tamen debet absolvi a gravibus Censuris, sive pro foro interno, sive pro foro externo, nisi prius serio promittat de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta. — 39. In articulo mortis potest quisquis confessarius, et in defectu confessarii quilibet sacerdos a quibusvis Censuris absolvere; sub onere tamen, ut elapso periculo poenitens coram superiore compareat ad exsequendum quod ille præscripserit. — 40. Potest quis pluribus Censuris ligari; et potest absolvi ab una, et non ab aliis ad differentiam peccatorum. — 41. Censura excommunicationis ligatus non potest a peccatis absolvi, nisi prius ab ipsa absolvatur. — 42. Forma absolutionis a Censuris non habet præfixa, et determinata verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem talis specialis Censuræ, a qua fit absolutio. Sed de istis et aliis. *Remissive*. — 43. Reo correcto, ejusque contumacia cessante, non cessant Censuræ, nisi per absolutionem tollantur, maxime loquendo de Censuris absolute latis. — 44. Privilegium, ne quis Censuris irretiri possit incon- sulta Sede Apostolica, non afficit ordinariarum potestatem. — 45. 47. Quando Censura irrogari possit in delinquentes. — 48. Quando requiratur sententia declaratoria. — 49. 50. Quanta moderatione uti debeant Episcopi in infligendis Censuris. — 51. 53. In præsentis disciplina tres sunt tantum Censurarum species. — 54. 57. Quæ sit differentia inter Censuras a jure, vel ab homine latis. — 58. 59. Quando sint Censuræ latæ vel ferendæ sententiæ. *Remissive*. — 60. An Episcopus possit ferre Censuras extra suam diocesim. *Remissive*. — 61. An mulieres possint ferre Censuras. *Remissive*. — 62. De forma ferendi Censuras. — 63. De forma, conditionibus, effectibus, etc., Censurarum. *Remissive*. — 64. Ecclesia jus habet infligendi pænæ. — 65. Distinctio pænarum et Censurarum. — 66. Quot conditiones requirantur, ut quis possit Censuras ferre. — 67. Impuberes possunt ligari Censuris, si id expresse cautum est in lege. — 68. Quando excommunicari possit communitas. — 69. Prælati regulares ubicunque existunt, possunt Censuras ferre in suos subditos. — 70. Casus in quibus Episcopus extra territorium potest infligere Censuras in subditos. — 71. Quid si subditus existat extra territorium. — 72. Solemnitates observandæ in prolatione Censurarum. — 73. Quotplex sit absolutio a Censuris. — 74. Confessarius potest absolvere a Censuris non reservatis etiam in foro externo. — 75. Absolutio *ad cautelam*. — 76. Absolutio *ad reincedentiam*. — 77. Censurarum in mortuos relaxatio.

Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris mores corrigentis, aut pœnam infligentis.

Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quod Censura significet correctionem quamdam, et punitionem, juxta illud Juvenalis *Satyra 1. de Juvone canentis*: *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

(2. Nos autem nomine Censuræ intelligimus hic solam Ecclesiasticam, quæ est correctio, et pœna quædam spiritualis, ac medicinalis privans usu aliquorum bonorum spiritualium, per Ecclesiasticam potestatem inflictâ Christiano delinquenti, ut a contumacia recedat. (3. Ita in re communis. Dicitur *correctio, et pœna quædam spiritualis* ad differentiam pænarum corporalium, seu temporalium, v. g. pœnæ pecuniariæ, exsilii, carceris, et hujusmodi. Siquidem Censura non versatur principaliter circa similes pœnas corporales, vel temporales. Dicitur *medicinalis*, quia Censura Ecclesiastica non est pœna vindicativa delicti jam patrati, sed potius est pœna medicinalis intendens futuram correctionem Christiani delinquentis, id est inobediens potestati Ecclesiasticæ sub Censura aliquid præcipientis, vel prohibentis; *argum. capit. cum medicinalis 1. de sentent. Excommun. in 6. ibi*: *Cum medicinalis sit Excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem facta fuerit, non contemnat*. Dicitur *privans usu aliquorum bonorum spiritualium*, non autem omnium, quia inter bona spiritualia quædam sunt propria, et permanentia, quibus nemo invitatus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earumque bonæ operationes; quædam vero sunt communia, quibus Christianus in pœnam privari potest quoad usum activum, et passivum, ut est ministratio, et receptio Sacramentorum, participatio publicorum suffragiorum Ecclesiæ, et hujusmodi. Dicitur per *Ecclesiasticam potestatem inflictâ*, quia cum potestas mere secularis spiritualia tractare nequeat, *cap. Judicatum 5. dist. 89. cap. Decernimus 2. de Judic. cum concordant*. potestas ferendi Censuram soli potestati Ecclesiasticæ competit, et quidem Jure Divino, juxta illud *Matth. 16. Quæcumque alligaveritis super terram, etc. et 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et Publicanus*; hoc est a Fidelium communiõne segregatus, ut explicant omnes. Dicitur *Christiano delinquenti*, quia Judæi, Pagani, Saraceni, et alii Infideles, ex quo Ecclesiæ potestati non subsint, nulli Censuræ subjiciuntur, juxta illud Apostoli 1. *ad Corinth. 5. Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Dicitur ultimo, *ut a contumacia recedat*, quia finis Judicis Censuram ferentis debet esse, ut fideles a contumaci, et rebelli inobedientia reducat ad promptam, et obsequiosam Ecclesiæ obedientiam; *arg. c. Cum medicinalis 1. de sentent. Excommunicat. in 6. ibi*: *Cautè provideat Judex Ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis.*

(4. Censuræ Ecclesiasticæ proprie dictæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Sensusio et Interdictum. Ubicumque

(1) Superiores regulares reservare sibi possunt sequentes casus. 1. Apostasia a religione, habitu di-

enim in Jure fit mentio Censuræ Ecclesiasticæ, solummodo istæ tres species numerantur, ut patet ex *c. Cum medicinalis 1. cap. Statutum 13. c. Is cui 20 de sentent. Excommunic. in 6.* et præcipue ex *c. Quærenti 20. de V. S. ibi*: « Quærenti quid per Censuram Ecclesiæ debeat intelligi, cum hujusmodi clausulam in nostris Litteris apponimus. Respondemus, quod per eam non solum Interdicti, sed Suspensionis, et Excommunicationis sententia valet intelligi, nisi Judex discretus (rerum, et personarum circumstantiis indagatis) ferat quam magis viderit expedire. » (5. Irregularitas autem non est proprie Censura, seu pœna, sed inhabilitas quædam ad ministerium Altaris, seu impedimentum quoddam accipiendi, vel exercendi Ordinem. (6. Sic Depositio, et Degradatio non sunt Censuræ, sed pœnæ quædam contra incorrigibiles a Jure Canonico statuta. (7. Item cessatio a Divinis non est Censura Ecclesiastica, quia non est prohibitio Divinorum Officiorum, sed desistentia, et ommissio. Navarr. *in Manuali Prælator*, cap. 26. num. 1. et sequent. et num. 188 Pirhing. *in Jus Canon. lib. 3. tit. 39. num. 3. et 4* et communissima aliorum. (8. Potestas ferendi Censuras competit præcipue in primis Summo Pontifici, et Episcopis; *cap. Perniciosam 1. cap. Conquerente 16. de Offic. Ordinarii*; Concil. Trident. *sess. 6. cap. 3. et sess. 14. cap. 4. de reformat.* Legatis Sedis Apostolicæ in territorio suæ Legationis; *cap. Novit 7. de Officio Legati, et cap. Legatos 2. de Officio Legati in 6.* Cardinalibus in Ecclesiis sui Tituli, et aliis suo Titulo annexis, textu expresso in *cap. His que 11. de Majorit. et obedient.* ibi: *correctionem ipsius Cardinalis recipientes humiliter, et Excommunicationis, Interdicti, vel suspensionis sententias, quas tulerit in eos, et in Ecclesiis eorumdem inviolabiliter observantes.* Capitulis Cathedralibus Sede vacante; *arg. c. Unic. de Majorit. et Obediat. in 6.* Vicario Generali Episcopi, et Vicario Capitulari Sede vacante; *cap. Venerabilibus 7. de Sentent. Excommunicat. in 6.* Prælatis, et Præpositis Ecclesiarum Collegiarum, et aliis habentibus Jurisdictionem in Foro Ecclesiæ externo; *arg. c. Quærenti 2. de V. S. et cap. Cum medicinalis 1. de sent. Excommunicat. in 6.* Abbatibus, et reliquis Superioribus Regularibus non solum Generalibus, et Provincialibus, sed etiam per se loquendo localibus, scilicet Prioribus, Guardianis, Rectoribus, Correctoribus, et hujusmodi respectu suorum subditorum; *cap. Cum in Ecclesiis 10. de Majorit. et Obediat. cap. Ea que 8. de statu Monachor. cap. Sicut tuus 33. de Simonia, et ibi Glossa verb. Anathematis; et demum Conciliis Generalibus, et Provincialibus in sua Provincia, aut natione, sicut et Capitulis, seu Congregationibus Generalibus in Religionibus, et Provincialibus in suis respective Provinciis. Suarez de Censuris *disp. 2. sect. 2. Palao tract. 29. disput. 1. sect. 4. a num. 2. Navarr. in Manuali cap. 27. n. 5. et alii. (1).**

misso, aut retento. 2. Veneficia, incantationes et sacrilegia. 3. Nocturna, et furtiva e conventu egressio. 4.

(9. Censura primo ferri non potest, nisi in delinquentes Christianos; quia Judæi, Pagani, Saraceni, et alii Infideles, cum Ecclesiæ potestati non subsint, nulli Censuræ subjiciuntur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Hæretici tamen, quia per Baptismum facti sunt subiecti potestati Ecclesiæ, possunt censurari, si legem, vel præceptum Superioris sui Ecclesiastici, v. g. Papæ, sub Censura impositum transgrediantur; *arg. c. de Judæis 5. dist. 45. cap. Majores, de Baptismo.* Et est communis, cum de facto quotannis excommunicentur in Bulla Cœnæ. (10. Secundo ferri non potest nisi in rationis capaces, quia infantes, furiosi, amentes, hoc ipso

*Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum in judicio legitimum. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam non secuto effectu. 7. Falsificatio manuum, aut sigilli conventus. 8. Furtum de rebus monasterii. 9. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. Occisio, seu vulneratio, seu gravis percussio cujuscumque personæ. 11. Malitiosum impedimentum, vel retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores. Præter hos prælati regulares nequeunt alios sibi reservare casus. Venio nunc ad Censuras.*

Falsum etiam est superiores locales posse in subditos Censuras ferre. Imo neque superiores possunt absque consensu capituli generalis, vel provincialis. Nam Clem. VIII. die 26 Maii 1593 dum restrinxit facultatem superiorum regularium ad undecim supra recensitos casus, quos reservare sibi valeant, præcepit, quod si aliquid aliud grave peccatum reservandum sit, et id aliter non fiat, quam generalis capituli in toto ordine, aut provincialis in provincia matura discussione, et consensu. Cujus decreti vigore nequeunt dicti superiores alicui gravi peccato in eo non expresso Censuram adnectere, quam sibi reservent; ex declar. Congreg. Episcop. et Reg. 7 Julii 1617. (*Nota Romani Theologi.*)

*Responsio Auctoris.*

Asserit hic R. Theologus falsum esse posse superiores locales in subditos Censuras ferre. Et tamen sunt satis clari et expressi Sacri Canonæ, a me ibi citati, et signanter Canon *Quum in Ecclesiis* 10, de majorit. et obedient. in cujus summano sic expresse habetur: « Canonici regulares inobedientes priori suo, per ipsum excommunicari possunt, » et hic prior, ut patet ex textu canonis, erat solummodo superior localis, et id expresse statuunt nostræ leges minoritice in compilat. statutor. Sambucæ, cap. 8, § 6, num. 28 ibi: « Cum omnes religionis nostræ superiores sint vere prælati, videlicet ministri, et commissarii generalis, provinciales ministri, et qui ab eis delegantur, custodes etiam, et guardiani quoque; propterea declaramus omnes supradictos juxta juris communis dispositionem sententiam excommunicationis in suos subditos fulminare posse, et oppositum asserentes, ut errantes, et perturbatores graviter puniantur superiorum arbitrio. » Quid ad hæc *Theologus* noster? potestne esse clarius, et expressa nostra constitutio, quam tenebatur ipse scire, ut pote et ipse ipsi subiectus. Estne falsa, ut ipse præ tendit, mea assertio, aut non potius falsissima sua injusta Censura? Ponderet illa verba. « Et oppositum asserentes, ut errantes, et perturbatores graviter puniantur, superiorum arbitrio. » Hinc inferat prudens lector quid sentendum de *Theologo*, qui immerito censurat, et impugnat propriam suam legem, et judicet, an merito ei

quod defectu rationis, veræ culpæ, et contumaciæ capaces non sint, neque etiam existunt capaces Censuræ, ut sentiunt omnes communiter. (11. Tertio, non potest ferri, nisi in subiectos Jurisdictioni ferentis ipsam Censuram, quia cum par in parem non habeat imperium; *cap. Innotuit* 20. de elect. § *Quamvis*, nec inferior in Superiorem, *cap. Cum inferior* 16. de majorit. et obedient. clarum est requiri Subditum ferentis Censuram. *Est communis.* (12. Quarto, Communitas, aut Collegium potest quidem ligari Suspensione, et Interdicto; *c. Quia sæpe* 49. de elect. in 6. *cap. Responso* 43. de sentent. *Excommunic.* minime tamen ligari potest excommunicatione; *c. Romana* 3. de sentent. *Excommunic.*

conveniat illud *Cantic. 1. 5: Filii matris meæ pugnaverunt contra me* (adde), et *contra legem meam.* Ultra quam quod meam conclusionem sustinent passim tum canonistæ, tum moralistæ, et signanter Fagnanus in cap. *Quanto*, de Officio Ordinarii, num. 12, expresse dicens: « Abbas, et prior conventuales potest monachos excommunicare, » ut est expressum in cap. *Cum in Ecclesiis* de majoritate, et obedient. et in cap. *Sicut*, lib. primo de Simonia, Monacell. Formular. legal. practic., part. 3, edit. rom. in præluo, n. 47. Reiffenstuel, lib. 5 Decretal., tit. 59, § 1, n. 7. Schmalzgrueber eod. tit. 59, n. 43. Pirhing. eodem tit. n. 24. Leurentus eodem tit. 59, q. 57, num. 1. Ludovicus de Amæno, tit. 1, practic., § 2, n. 14. Passerin. Tribunal. Regul., q. 2, n. 10, et de Election. Canonic., cap. 25, q. 34, num. 436, et Gaudentius de Janua, de Visitat. tom. II, c. 5, sect. 1, n. 29, edit. rom. an 1755. Sanctorus verb. *Excommunicat.* n. 2. Augustinus de Gabrielis in Theologia Morali, num. 4, tract. 16, q. 7, § 1, dico secundo, Felix Potestas tom. II, part. 5 de Censuris, cap. 1, num. 4359. Cl. Daniel Concina Theologia Christian., tom. X, lib. 3 de Censuris, cap. II, ubi ad quæstionem: quænam habeant potestatem ferendi jure ordinario Censuras, num. 5 respondet: « Prælati regulares, ut generales, provinciales, rectores, præpositi, Abbates, Priores, guardiani, sivi ex privilegio, sive ex natura rei hanc reipsa potestatem habent majorem, vel minorem, juxta cujuscumque religionis leges et consuetudines. » Et hic certe non est probabilista, sicut nec est eruditissimus Paulus Gabriel Antoine, qui in tract. de Censuris, quæst. 7 expresse dicit, « potestatem ferendi Censuras. . . a Papa habent superiores ordinum, saltem generales, et provinciales, vel etiam superiores locales secundum cujusque constitutiones, non item parochi, » Kazemberger in Supplem. Theolog. Patris Sporer, cap. 5 de censuris, § 4, num. 2. Vide etiam Gaudentium Kerkove in nostra statuta generalia, cap. 7, § 8, num. 7. Et sic etiam plurimi alii, brevitatis gratia missi. Aliud autem est facultas sibi reservandi casus, et aliud facultas ferendi Censuras: hæc, ut dictum est, competit etiam superioribus localibus, illa vero solummodo generalibus, et provincialibus, et quidem limitate ad solos illos undecim assignatos in decreto Clementis VIII. vel ad aliquos ex illos, ultra quos neque aliud quantumvis grave peccatum possunt sibi reservare sine matura discussione, et consensu capituli generalis, et respective provincialis ex eodem decreto; quod apostolicum decretum videntur illudere, qui, quia non possunt casus sibi reservare, reservant sibi excommunicationem, quam certis peccatis annectunt, ut declaravit Sacra Congregatio Episcop. et Regular. die 7 Julii 1617. Quod decretum jam ego retuli in verb. *Prælati Regularis* num. 55. Vide ibi, et verb. *Reservatio casuum*, ubi multa ad rem.

in 6. ubi Pontifex provide statuit Censuram excommunicationis ferendam esse in singulos tantum de Communitate, vel Collegio, quos culpabiles esse constiterit; ibi: *Volens animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innocuos hujusmodi sententia irretiri.* (13. Quinto, ex speciali Jure non ligantur Episcopi sententia generali Suspensionis, aut Interdicti, nisi de ipsis specialis mentio fiat; *cap. Quia periculosum* 4. de sentent. *Excommunicat.* in 6. (14. Sexto sic etiam Cardinales, nisi specialis, et expressa de ipsis mentio fiat; *arg. d. cap. Periculosum*, et Doctores passim. *Vid. verb. Cardinales art. 4. num. 1.* (15. Septimo, Imperatores, et Reges ob suæ Dignitatis excellentiam Censura aliqua ab Episcopis ligari non posse, docent passim Doctores cum Sylvestro *verb. Censura num. 10.* Palao *tract. 29. disp. 1. punct. 6. num. 3.* Hodie enim fere omnes Reges muniti sunt specialiter tali Apostolico privilegio.

(16. Ad validitatem Censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa, cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. Excommunicatio enim major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis non potest infligi pro qualibet culpa etiam levi, quia pœna, ut sit justa, debet commensurari culpæ; Excommunicatio autem major v. g. est gravissima pœna; *cap. Corripiantur* 17. *caus. 24. qu. 3.* ibi: *Qua pœna in Ecclesia nulla major est, adeoque gravem etiam culpam requirit.*

(17. Dicitur tamen notanter: *Excommunicatio major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis;* quia Excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale v. g. ob communicationem cum excommunicato vitando in colloquio, mensa, aliisque commerciis humanis, in quibus non reperitur notabilis irreverentia Dei, vel læsio, aut scandalum proximi. Et sic etiam nihil prohibet, quin propter levem, sive venialem culpam, quandoque imponatur suspensio levis v. g. Suspensio ab uno actu electionis, aut Missa celebranda per unum, aut alterum diem, ut notat Pirhing *lib. 5, tit. 39, num. 207.* Layman, *lib. 1, tract. 5, part. 3, num. 2.* Suarez, Navarr. et alii. (18. Et notanter fuit positum, *quod culpa in suo genere sit completa*, quia Leges pœnales sunt stricte interpretandæ; *cap. Odiā* 15. de Reg. *Juris in 6,* ibi: *Odiā res-tringi, et favores convenit ampliari;* simulque eorum verba accipienda cum effectu; *arg. cap. Hæc autem verba* 17, *dist. 1, de Peniten.* ibi: *Hæc autem verba (quod statuerit, qui Jurisdictioni præest) cum effectu accipi-mus, etc.* Unde qui tentavit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit Excommunicationem latam in percussores Clericorum; et sic dicendum de similibus. (19. Dicitur etiam *notanter cum contumacia, seu inobedientia delinquentis*, quia ad incurrendam Censuram requiritur ulterius, ut culpa illa gravis habeat adnexam inobedientiam, et contumaciam delinquentis, per quam reus Ecclesiæ monentis, et præcipientis auctoritatem spernere censeatur; ut

eum communi docet Navarr. *cap. 27. Manual. num. 9. Sannig. dist. 1, de Censuris qu. 3, num. 12.* Abbas, et alii. Et hoc colligitur ex *Matthæi* 18, ubi dicitur: *Si Ecclesiam non audierit (id est si ei obediens non fuerit) sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus;* id est tanquam excommunicatus, et exclusus ex gremio Ecclesiæ. (20. Advertendum tamen hic est, quod ad incurrendam Censuram non requiritur semper contumacia, aut contemptus formalis, sed sufficit inobedientia generalis, et contemptus interpretativus, in hoc consistens, quod quis sciens quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub Censura, nihilominus illud facere velit. (21. Ad validitatem Censuræ ferendæ ab homine requiritur etiam trina monitio, nisi urgens necessitas aliud suadeat, quod nempe in aliquo urgenti casu una solum admonitio peremptoria pro tribus sufficiat; *cap. Reprehensibilis* 26. de *appellat. cap. Sacro* 48. de *sentent. Excommunic.* *cap. Romana* 3. *cap. Constitutionem* 9. et *c. Statutum* 13. de *sentent. Excommunicat.* in 6. (22. Et talis monitio debet fieri in scriptis cum expressione causæ, et nominis tam ejus, qui fert, quam ejus, contra quem fertur Censura *maxime Excommunicationis*, ut vult Palao *tract. 29. disp. 1. punct. 5. n. 9.* et alii passim; et coram testibus tradi vel legi ipsi personæ excommunicandæ; *cap. Sacro* 48. de *sentent. Excommunic.* ibi: *Personis præsentibus idoneis, per quas si necesse fuerit, possit probari monitio.* (23. Nisi forsitan talis malitiose se absconderet, et fugeret, tunc enim sufficit, si monitio, seu comminatio prævia scripta ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio publico loco affigatur; *c. Quoniam* § *Porro, ut lite non contestata, et Clement. causam. 3. de election.* Suarez. de *Censuris disp. 3. sect. 11.* et alii.

(24. Dicitur autem notanter *maxime Excommunicationis*, quia Censuræ Suspensionis, et Interdicti aliquando non ut meræ Censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa; *arg. cap. Cum in Cunctis* 7. § *final. de election.* *cap. Sacro* 48. de *Sentent. Excommunicat.* et *cap. cum medicinalis* 1. de *sentent. Excommunicat.* in 6. (25. Ad validitatem Censuræ tamen latæ sententiæ a Jure statutæ non requiritur monitio, quia ipsum Jus præcedens, seu Lex, et commune præceptum est continua monitio, adeoque alia monitione opus non est; *arg. cap. Reprehensibilis* 26. de *appellat. et cap. Conquesti* 22. *verb. Nuntietis, de sentent. Excommunicat.*

(26. Censura Interdicti potest infligi etiam ob peccatum alterius; propter enim peccatum Regis potest interdici totum Regnum; *arg. cap. Non est vobis* 11. de *sponsalibus.* Et pro peccato Episcopi, terra ipsi subiecta; *cap. Sane* 11. de *Officio delegati.* Et propter peccatum Rectoris, Civitas; *cap. Si sententia* 16. de *sentent. Excommunicat.* in 6. et Monasterium ob peccatum Prælati contumacis; *cap. Cum dilectus* 8. de *Religiosis domibus*, ac notat Fagnan. *cap. Responso* 43. de *sentent. Excommunicat.* num. 42. (27. Non potest tamen propter peccatum alterius infligi Censura Excommuni-

nicationis majoris, quia Excommunicatio major non est infligenda nisi propter peccatum mortale; peccatum vero, cum consistat in actu, non est communitatis, sed proprium singularium personarum; adeoque non est excommunicanda tota communitas propter peccatum unius personae singularis, ut expresse statuitur in cap. Romana 5. de sentent. Excommunic. in 6. ibi: « in Universitatem, vel Collegium proferri Excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum evitare, quod exinde sequi posset; cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri, sed in illos duntaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgetur. » Et quod unus non sit excommunicandus propter peccatum alterius v. g. Filius pro delicto Patris, dixit expresse Augustinus relatus in cap. Si habet 2. caus. 24. quest. 3. (28. Neque etiam propter peccatum alterius potest infligi Censura Suspensionis proprie, et stricte acceptae. Sic Navarr. in Manual. cap. 27. n. 165. Layman. lib. 1. tract. 5. par. 3. cap. 3. num. 1. Suarez, et et alii passim. Et ratio est, quia Sensus est proprie dicta poena, quippe directe cuiuspiam adimens usum Ecclesiasticae potestatis, atqui poena talis non incurritur sine culpa propria; arg. cap. Quaesivit 2. de his, quae fiunt a majori par. cap. ubi expresse dicitur: Peccata suos auctores tenere debent; adeoque, etc.

(29. Ab incurrendis Censuris tres praecipue causae excusant. Prima est ignorantia invincibilis Juris, aut facti, cui sit annexa Censura. Quod ignorantia invincibilis Juris, seu ipsius Censurae, dummodo non sit crassa, aut supina, excuset ab incurrenda Censura, habetur expresse in cap. Ut animarum 2. de Constitutionibus in 6. ibi: Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina: et quod excuset ab incurrenda Censura ignorantia facti, qua quis ignorat factum suum tale esse, quod sit prohibitum sub Censura, habetur in cap. Si vero 3. de sent. Excomm. ubi statuitur, quod non incuratur Excommunicatio ab eo, qui occidit Clericum, quem invincibiliter ignorabat esse talem, et putabat esse laicum, ibi: Si quis autem in Clericum nutrientem comam injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico praesentari conspectui, nec etiam Excommunicatione innodari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. (30. Et quantum ad hoc excusat etiam inadvertentia, quia aequivalet ignorantiae. Secunda est impotentia sive physica, sive moralis; unde ratione impotentiae physicae, qui non habet, quid restituat, excusatur a Censura lata contra detinentem rem alienam. Et ratione impotentiae moralis excusatur, qui ob metum gravem v. gr. mortis, mutilationis, infamiae, gravis jacturae bonorum, et similibus cogitur omittere, aut facere aliquid quod sub Censura praescribitur, vel respective prohibetur. Et ratio est, quia Le-

ges Ecclesiasticae regulariter loquendo non obligant eum periculo vitae, membrorum, vel alterius gravis damni juxta communem sententiam; arg. cap. 4. de Regulis Juris, ibi: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. (31. Tertia est appellatio legitima interposita ad Superiorem post comminationem Censurae ab inferiori factam, antequam incuratur. Et ratio est, quia appellatio facta in tempore suspendit usum Jurisdictionis in Judice, ut habetur expresse in cap. Romana 3. et cap. Si a Judice 10. de appellat. in 6. Et idem omnino facit recusatio Judicis, antequam sententiam Excommunicationis, vel alterius Censurae ferat; textu claro in cap. Quoties Episcopi 16. caus. 2. quest. 6. ibi: « Quoties Episcopi se a suis Comprovincialibus, vel a Metropolitanis putaverint praegravari, aut eos suspectos habuerint, mox Romanam appellent Sedem, atque eis libere ire liceat, et dum praedictam Romanam Ecclesiam appellaverint, aut ab ea se audiri poposcerint, nullus eos excommunicare, aut eorum Sedes surripere, aut res eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre praesumat. » (32. Hoc tamen non verificatur, quando appellatio fit post jam latam Excommunicationis, vel alterius Censurae sententiam, quia tunc appellatio facta solum post latam sententiam, non habet vim suspendendi, sed solum devolvendi, ut Superior possit cognoscere de justitia Censurae; cap. Ad reprimendam 8. de Offic. Judicis Ordinarii.

(33. Innocens censuratus v. gr. Excommunicatus secundum allegata, et probata in foro externo pro tali habere se debet; quamvis coram Deo a se immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. Est communis sententia Doctorum; et colligitur ex cap. Sententia 1. caus. 11. quest. 3. ibi: Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda est; et concordat c. Inquisitioni tuae 44. de Sentent. excomm. Ubi Excommunicatus innocenter, ob sanctam observantiam Legis Divinae, ex justa tamen praesumpta causa in Foro externo, cogitur in eodem Foro servare Censuram. In publico enim se gerere debet, ut censuratus, et a ministerio suo abstinere, ne debitam auctoritati Ecclesiae reverentiam, et obedientiam infringat, si lata in eum sententia publice fuerit promulgata. Ne, ut dicit S. Gregorius Homil. 26. in Evangel. Ne, etsi injuste ligatus est, culpa, quae non erat, fiat. Et revera si talis secundum allegata, et probata in judicio censetur reus, et causa ad Censuram censetur sufficiens, debet Censura in Foro externo, tam a Censurato, quam ab aliis servari, donec, vel ab ea praesumptus reus fuerit absolutus, vel innocentia ipsius, atque error Censurae publice innotuerit. Hoc enim necesse est ad publicam utilitatem, et disciplinam, ipsamque Judicis ex Officio secundum allegata, et probata judicantis auctoritatem tuendam, cui bono communi merito bonum privatum postponi debet. Aliter aperiretur via malevolis quilibet Censuras contemnendi, cum semper dicere possent se coram Deo esse innocentes, quamvis in Foro

externo juxta allegata, et approbata essent damnati ut rei. (34. In secreto tamen posset talis se gerere, ut non Censuratus, cap. Cui est illata 46. caus. 11. qu. 3. ibi: « Cui est illata sententia... si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum, et Ecclesiam ejus neminem potest iniqua gravare sententia; ita ergo ex se, non absolvi desideret, qua se nullatenus perspiciat obligatum. » Imo ut habetur in cap. Illud. 87. caus. 11. quest. 3. ex verbis S. Augustini, Censura injuste lata potius nocet Latori, quam ei in quem est injuste lata, ibi: « Quod illud plane non temere dixerim, si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injuste, ei potius oberit, qui faciet, quam ei, qui hanc patietur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli poenam ingerit. »

(35. A Censuris a Jure, si non sint reservatae, absolvi potest quilibet Confessarius pro Foro interno Conscientiae, pro Foro tamen externo Superior Censurati; cap. Nuper 29. ver. in secundo casu, de sentent. Excommunic. Si sint reservatae, possunt absolvi ab eo, cui sunt reservatae, aut ejus Delegato, vel a Superiore ejus, cui sunt reservatae, vel a Confessarii ad id privilegiati, uti sunt Confessarii Regulares, qui ab omnibus Censuris a Jure latis, et Papae reservatis (exceptis contentis in Bulla Coenae, et aliis sex casibus intra Italiam, et extra Urbem de mandato Clementis VIII. reservatis, et aliis quos Romani Pontifices sibi post Clement. VIII. reservarunt) absolvi possunt, ut constat ex privilegio Pauli III. Constit. incip. Cum inter cunctas edit. 3 Junii 1545. in quo communicant alii Regulares, et ex aliis privilegiis. Vide verb. Absolutio (1).

(36. A Censuris ab homine latis per sententiam specialem potest absolvi solus ille qui eas tulit, vel ejus Delegatus; cap. Pastoralis 11. § Præterea, de Offic. Ordinar. cap. Quærentis 26. de Offic. Delegati, vel ejus Successor; cap. Si Episcopus 11. quest. 3. pro quo venit etiam Capitulum Sede vacante; cap. unic. de Major. et obedient. in 6. vel (si agnoscantur injustae) Superior Censurantis plenam Jurisdictionem in illum habens, ut Papa respectu omnium, Generalis respectu Superiorum totius Ordinis, Provincialis respectu Superiorum suae Provinciae; adeo ut neque summus Pœnitentiarius Romae Censuras illas in aliquem nominatim latis tollere consueverit, ne jurisdictionem Ordinariorum turbetur. Benedictus XIV. Institut. Eccles. 55. § 11. (37. Non sic autem Ar-

(1) Circa sex casus ex speciali mandato Clementis VIII. a Sac. Congr. Episcop. et Regul. an. 1602. 26. Novembris reservatos, adest declaratio Clementis XI. die 3. Martii 1711, qua decernitur, nec saeculares, nec regulares privilegiatos in urbe absolvi posse ab istis casibus, scilicet violationis clausurae monialium ad malum finem, violationis publicae immunitatis ecclesiasticae in terminis constit. Gregor. XIV. vel etiam occultae, si fiat publica auctoritate; atque publicae presbyteri occasionis. In reliquis vero casibus

chiepiscopus respectu suorum Suffraganeorum, nisi ad eum appelletur, quia Archiepiscopus non habet Jurisdictionem absolvendi a Censura, quam in proprium Subditum tulit Episcopus ejus Suffraganeus, nisi ad eum a sententia Censurae appelletur, ut colligitur ex cap. Nullus Primas 7. caus. 9. q. 3. et ex cap. Pastoralis 11. de Offic. Ordinar. Nec etiam Legatus Sedis Apostolicae, qui licet aliquo modo Superior sit Episcopi, non tamen in ordine ad causas subditorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ut deducitur ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 20. de Reformat. (38. Barbosa ibi, et alii. Nemo tamen debet absolvi a gravibus Censuris, sive pro Foro interno, sive pro externo, nisi prius serio promittat de parendo mandatis Ecclesiae, vel absolventis, et de non committendo in posterum hujusmodi delicta; cap. Super eo 1. cap. Ex tenore 10. cap. Ad hæc 12. et cap. Venerabili 52. de sentent. Excommunicat. (39. In articulo mortis potest quisvis Confessarius, et in defectu Confessarii quilibet Sacerdos a quibusvis Censuris absolvi sub onere tamen, ut elapso periculo poenitentis coram Superiore compareat ad exequendum, quod ille praescripserit; cap. Eos 22. de sentent. Excommunicat. in 6. (40. Potest quis pluribus Censuris ligari, et potest absolvi ab una, et non ab aliis ad differentiam peccatorum. (41. Ita communis. Censura Excommunicationis ligatus non potest a peccatis absolvi, nisi prius ab ipsa absolvatur, quia excommunicatus est incapax susceptionis Sacramenti. (42. Ita etiam Communis Doctorum. Forma absolutionis a Censuris non habet praefixa verba, sed potest dari verbis exprimentibus absolutionem talis specialis Censurae, a qua fit absolutio; sed de istis, et aliis vide verb. Excommunicatio, verb. Sensusio, verb. Interdictum, ubi diffuse de singulis. (43. Hoc unum advertas, quod etiam Reo correcto, ejusque contumacia cessante, non cessant Censurae, nisi per absolutionem tollantur, maxime loquendo de Censuris absolute latis, ut clare patet ex Decreto 2. Alexandri VII. die 18 Martii 1666. inter alias propositiones sequentem ordine 44. condemnantis: Quoad forum conscientiae, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censurae.

## ADDITIONES AUCTORIS.

(44. Privilegium, ne quis inconsulta Sancta Sede Censuris irretiri possit, non afficit Ordinariorum sententias. Ideoque nec probat ab eorum jurisdictione exemptionem. Bened. XIV. tom. 2. Const. 40. incip. Causarum Palatii Apostolici.

intacta manent in urbe privilegia confessariorum, quae ante dictum decretum obtinebant. (Nota Romani theologi.)

## Responsio auctoris ad notas Rom. theol.

Sed meminisse debuerat accuratus theologus, et adnotare, jam in verb. Absolvere, Absolutio, art. 1. num. 47. fuisse a me allatam ad litteram dictam declarationem Clem. XI. Vide ibi.